



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm VIII. Cùm quidam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

noluit ad unum, ait Gl. ibi, ver. superstes.

Sciendum verò est, decreta hæc intelligenda esse secundum ea tempora, quibus confirmatio Episcoporum Metropolitanò relinquebatur: Is enim prius singulorum Comprovincialium suffragia exquirere debebat, quòd dignum iudicarent eum, qui in Episcopum ordinandus esset. Quòd si omnes, aut pars maior Comprovincialium consentiret, tum vel ipsemet eum cum duobus alijs Comprovincialibus Episcopis consecrare, vel tres ad consecrandum deputare debebat, ut apparet in c. seq. Postea verò Summus Pontifex prouisiones Ecclesiarum Cathedralium, seu Episcopaliū omnes sibi reseruaui, extrauag. Ad regimen, de præb. & reg. 2. Cancellar. Nisi quòd nominationem seu præsentationem personarum idonearum ad Episcopatus & alias prælaturas Regibus Galliarum, Hispaniarum, Poloniarum, &c. reliquerit: In sola autem Germania ius eligendi Episcopos, sicuti canones antiqui requirebant, Capitulis Cathedralibus adhuc competit per Concordata Germaniarum cum Nicolao V. Pontif. Sed confirmatio electorum à Pontifice intra tres menses petenda est, quam is conferre solet post exacta de electis testimonia, instituto examine, eosdemque mox consecrari iubet. Videri potest Azor tom. 2. lib. 3. c. 29. q. 1. Barbosa de potest. Episc. tit. 1. cap. 4.

4. **QVÆRES:** Quo loco, aut die Episcopi consecratio fieri debet. Respondeo, & dico I. Licet decens sit, eam fieri in Ecclesia Cathedrali, tamen id necessarium non est; cum de eo iure nihil statutū reperiatur: Quare etiam in alia Ecclesia consecrationem Episcopis (non verò Archiepiscopis) dari posse, docet Tabiena ver. confirmatio, n. 13. in fine, & sumitur ex c. qui in aliquo, §. Sed nec, in fine, d. 51. De generali autem Clericorum ordinatione statuit Synodus Trident. sess. 23. c. 8. de reformat. ut ea in Cathedrali Ecclesia, aut, si in alio loco instituat, in digniore, quantum fieri potest, ecclesia, clero præse, publicè fiat.

5. Dico II. Episcopi, & Archiepiscopi die Dominico consecrari debent, ex antiquiss-

ma (vt Leo I. arbitratur, relatus in c. quod die, d. 75.) Apostolica traditione. Quare alia die, absque Sum. Pontificis licentia, consecratio Episcopi peragi non debet.

CAPITVLVM VII.

Ne Episcopi.

Idem omnino in hoc c. habetur, quod in præced. traditum, & explicatum fuit.

CAPITVLVM VIII.

Cùm quidam.

SUMMARIVM.

Ordinatus extra legitima tempora, vel ante legitimam ætatem, vel sine literis dimissorialibus, à susceptis ordinibus suspensus manet.

Qui Ordines acceperit eo tempore aut die, quo conferri non debent, videl. extra quatuor tempora (vti Gl. interpretatur) à susceptis ordinibus suspensus manere debet, donec absolutionis gratiam mereatur.

De hæc re habemus nunc clariorem Constitutionem Pij II. quæ incipit, *Cum ex sacrorum*: Qui extra legitima tempora, vel ante legitimam ætatem, vel sine literis dimissorijs aliquam ex sacris ordinibus accipere præsumperit, ab eodem suspensus maneat, donec ab Ordinario suo absoluaatur. Legi debent, quæ circa hanc suspensionem annotantur lib. 5. tr. 9. c. 10. n. 2. suspens. 3. & quæ scripsit Quaranta in sum. Bullarij, ver. ordo, princ. Barbosa p. 2. de potest. Episc. allegat. 14. vbi etiam refert priuilegia à Pontificibus Trident. Concil. concessa quorundam Ordinum Mendicantium Regularibus, vt extra quatuor tempora, cum Prælatorum suorum licentia, sacros ordines suscipere possint.

CAPITVLVM IX.

Cùm secundum.

SUMMARIVM.

Latini secundum morem Græcorum extra quatuor Tempora ieiuniorum ordinari non debent.

Rrr 2 Græ